

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

enim, similis tibi in bonitate, in pulchritudine, in potentia, in suavitate, in opulentia ceterisque mirabilibus tuis. Ah te vivoce in animam meam o summum ac perfectum bonum mee. Da o dulcissime Deus, ut tui amore totus a me ipso deficiam, te solum sciam, et sentiam, in te solo exultem, et conquiescam.

Credo Domine Deus meus te in magnitudine immensum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inestimabilem, in pulchritudine super omnia desiderabilem, in dulcedine ineffabilem, in iudicio terribilem, in consilio incomprehensibilem, in operibus mirabilem, in splendore serenitatis tue inenarrabilem, in maiestate tua summe spectabilem. Credo te absque fine et principio aeternum, sine extensione omnia implentem, sine situ ubique presentem, nihil te superius, aut maius habentem, atque per omnem et super omnem modum cuncta, quae bona sunt, possidentem; verbo infinite perfectum. Haec credo Domine Deus, et procedens coram te adoro ac veneror te. Et quia dignus es omni amore, ideo cupio te amare, quantum sum possum, et debeo, ut tu solus sis tota intentio mea, omnis delectatio mea: Deus meus et omnia.

Caput VII

Aspirationes ad Deum ob eius immensitatem.

O quam magna multitudo magnitudinis tuae, Domine Deus! Ecce si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; caelum quippe, et terram implet. Si hunc mundum transcendam, et te extra eum quaeram, etiam illic te inveniam; quia nihil potest cogitari, cui non presentissimus adsis. Imo licet mille mundos creaveris, hos omnes tamen maiestate tua implebis. Nullum igitur

ps. 138.

Hier. 23.

reperio finem tuae magnitudinis, et quo mens
mea altius super caelos ascendit, tanto te sub-
limiorem, ac ab omni fine remotiorem depre-
psal. 144. hendit. Revera magnus Dominus et lauda-
bilis nimis, et magnitudinis eius non est finis.

Eccae anima mea: quam magnum, et immensum
habeas Dominum. O Domine Deus largire
obsecro, ut mens mea sancto fervore extra se
raptam, atque abyso immensitatis tuae absorptam,
in te feliciter soporata obdormiat, et suaviter
quiescat.

2. Eccae Domine Deus veluti vastissimum mare,
quod initio et fine caret, praec oculis habere
arbitrori dum immensitatem tuam animo per-
lustrare. Sicut enim spongia in medio maris
posita ex omni parte impletur ipso mari,
sic omnis creatura quodammodo plena est in-
finita maiestate tua: et sicut spongia si cum
vastissimo mari conferatur, prorsus exigua
videtur, sic omnis creatura, si tibi comparetur,
pro nihilo computatur. Eccae gentes quasi gutta
situlae, et quasi momentum statera reprobatae
sunt: omnes gentes quasi non sunt, sic sunt coram
eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt
ei. O magnitudinis incomprehensibilis Deus,
O summa, O immensa maiestas! Ah quantum
desidero, ut iam sileant mihi Arripitus creatu-
rarum, discedant a mente mea vana imagines,
et formae rerum transeuntium. Ah effice Do-
mine Deus, ut anima mea transeat cuncta
creatura, atque in profundum immensitatis tuae
se prorsus immergat.

3. Finge tibi tantam esse distantiam inter cae-
lum et terram, ut lapis molaris e firmamento
caeli cadens in terram, spatium centum annorum

Isai: 40

explere debeat, usque dum eo pertingat; Finge
 etiam extra caelum et terram tantum adhuc
 superesse spatium, ut illud sol non nisi intra
 mille annos percurrere possit. Pro quanta erit
 haec extensio! quam magna haec vastitas! Et
 tamen totum hoc veluti immensum spatium
 facile Deus sua maiestate implebit. Imo tanta
 et talis vastitas immensitati divinae comparata
 valde exigua, et pro nihilo computabitur; si-
 quidem eam intellectus humanus sibi imaginari
 potest; at immensitatem divinam nulla mens
 capere sufficit; et quanto plus animus de ea
 sibi imaginatur, tanto plus semper superest
 de ea cogitandum. O immensum Deum! o mi-
 rabilem in actis Dominum! o amabilem, o
 desiderabilem abyssum! cur totus non absor-
 beor in te? Ah absorbeat, obsecro, absorbeat me
 melliflua vis sanctae charitatis, rapiat inderi-
 ra ^{mea} flamma castae dilectionis, ut tibi unice in-
 tendam, te semper desiderem, tibi inseparabi-
 liter inhaeream.

Caput VIII Aspiraciones ad Deum ob eius bonitatem.

Bonus es Domine, et in bonitate tua con-
 templanda deficit anima mea. Bonus es Do-
 mine, et nemo vere et perfecte bonus, nisi tu so-
 lus; quia tu solus in te comprehendis omnem
 rationem boni, et omnem gradum bonitatis.
 Quamquam infiniti forent orbes veluti in un-
 um conflati, usque in infinitum quidquid pulchritudinis,
 quidquid decoris, quidquid amabilitatis, quidquid
 excellentiae, quidquid perfectionis, quidquid boni =

psal. iig.